



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1869

Sanctissimo Patri Et Domino Nostro Gregorio XVI Pontifici Optimo Maximo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70595)

SANCTISSIMO
PATRI ET DOMINO NOSTRO
GREGORIO XVI

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

Ea Sors, BEATISSIME PATER, feliciter obtigit iis, qui olim Sanctorum Actis ex P. Joannis Bollandi consilio edendis operam navarunt, ut sub Romanorum Pontificum auspiciis voluminum suorum seriem inchoare et claudere concessum fuerit : atque adeo Urbani Octavi, Alexandri Septimi, Clementis Noni, Clementis Decimi, Innocentii Undecimi ac tandem Pii Sexti nomine illustratæ plures Bollandianæ lucubrationes prodierint. Interruptum per tot casus opus cum jam, licet tanto labori impares, prosequimur, simile omen et patrocinium sortiri gestimus. Etenim occurrere neminem in republica Christiana planum est, cui pluribus nominibus quam SANCTITATI TUE resumpta Beatorum præconia et Acta dicari deceat. Constans etiam ac multiplici beneficio probata in Societatem nostram benevolentia desiderium in nobis excitavit, BEATISSIME PATER, ut illustre et amicum nomen Tuum operi nostro lucem quandam et favorem affunderet. Cum autem eximia SANCTITATIS TUE modestia obstet, quominus in Tuas publicas ac privatas laudes, inque præclara merita, toti aliunde orbi cognita, excurramus ; satis sit dicere, nos mirum in modum alluci singulari illa et vere paterna benignitate, qua complecti soles humiliores etiam conatus eorum, qui vel sacræ eruditioni elucidandæ vel sanctæ Fidei adversus impugnatores vindicandæ allaborant. Movet et aliud, quod confiteri liceat : ingemiscit identidem SANCTITAS TUA, cum errantium multorum filiorum proterviam spectat, sævisque aut nuper aut etiamnum tempestatibus exagitata Petri naviculam : atqui non insuave, ut speramus, afflicto sæpe animo exhibebunt spectaculum Sanctorum certamina et triumpho, cum *adversus*

Tomus VII Octobris, Pars Prior.

mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in caelestibus collectarentur (Ephes. vi. 12). Humiliter igitur ad SANCTITATIS Tuae pedes provoluti nostrum, sin minus ingenii aut industriae, at saltem ardui et diurni laboris opus deponimus, precamurque, ut illud et Patriae et Societatis Jesu provinciae Belgicae et Bollandiani coetus nomine oblatum in singularis venerationis, obsequii et amoris tenuae pignus recipiat. Faxit interim Deus, ut BEATITUDO TUA Sanctae Matris Ecclesiae incolunitati et gloriae diu conservetur.

SANCTITATIS Tuae

minimi famuli

JOSEPHUS VANDERMOERE

JOSEPHUS VANHECKE

Societatis Jesu.